Universitätsbibliothek Paderborn

# Enchiridion Locorvm co[m]munium Ioannis Eckij, aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiæ

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

17 De sacrificio missae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

Visual Library

mus, aliquid eſſe in ſcripturis pręce
ptum, & tamen non obſeruandum,
vt de ſabbati ſanctificatione, de nõ
comedendo ſanguinem ſuffocatum
&c. Sufficiat catholico, quod eccle-
ſia conſtituit imagines ſanctorum,
velut vtiles & expedientes, poni de
bere in eccleſia, & cornua peccato-
rũ confringãtur. Dicam ei domini-
cam diem celebrare, aut eſt præce-
ptum, & oſtendatur ſcriptura, aut
non eſt præceptum, itaque nihil va-
let, quod nec hæreticus dicet.

## DE MISSAE SA-
## crificio. XVII.

QVomodo à columnis eccle-
ſiæ inſtituta ſit Miſſæ actio
ceremonioſa (vt ita loquar)
ex ſancto Dionyſio apoſtolorum di
ſcipulo liquet. At quia hæretici no-
ui inauditam in eccleſia dei inuene-
runt hæreſim, miſſam non eſſe ſacri
ficium: Contrarium ex ſcripturis
probatur.

Sem-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semper fuit ſacerdotum offici- Leuit. 4.
um offerre pro peccatis populi, & 6. 9. 14.
ignorantijs, pro delictis, pro mun-
datione.

Non eſt mihi voluntas in vobis, Malac. 1.
nec munus accipiã de manu veſtra:
A ſolis enim ortu vſq; ad occaſum,
magnum eſt nomen meum in gen-
tibus. & in omni loco ſacrificatur &
offertur nomini meo oblatio mun-
da. Prædixit Propheta hic ceſſatio-
nem ſacrificiorum legalium & inſti
tutionem ſacrificij nouę legis: Non
poteris illud dicere ſolum fuiſſe in
cruce, quia dicit ſacrificari in omni
loco, & loquitur tantum de vna ob-
latione, & non eſt aliud ſacrificium
niſi corpus Chriſti toties in miſſa re
petitum.

Quando dixit de aduentu Meſ- Malac. 3.
ſiæ, ſubdit: Et purgabit filios Leui,
& colabit eos quaſi aurum & quaſi
argentum, & erunt domino offeren
tes ſacrificia in iuſtitia, & placebit

domino ſacrificium Iuda & Hieru-
ſalē, ſicut dies ſeculi & antiqui. Ec-
ce ſaluator purificauit ſacerdotes
Euangelicos vt offerāt ſacrificia, nō
in ſanguine, ſed in iuſtitia, dicit glo
ſa ordina. id eſt, euchariſtiam.

Dan. 12 Eligentur & dealbabūtur, & quaſi
ignis probabuntur multi, & impie
agent impij, neq; intelligent omnes
impij, porro docti intelligent: & à
tempore quum ablatum fuerit iuge
ſacrificium, & poſita fuerit abomi-
natio in deſolationē, dies mille du-
cēti nonaginta. Illud eſſe implendū
Mat. 24 teſtatur Chriſtus, iuge ſacrificiū in
aduentu abominationis, id eſt, Anti
chriſti, ceſſabit vniuerſaliter ferme
per quatuor annos, quum deſolatæ
Illatio erunt eccleſiæ. Itaq; qui in particula
ribus eccleſiis faciūt ceſſare iuge ſa
crificiū miſſę, ſunt pręcurſores An-
tichriſti.

Heb. 5 Omnis nanq; pontifex ex homi-
nibus aſſumptus, pro hominib⁹ con
ſtitui-

ſtituitur, in his quæ ſunt ad deũ, vt
offerat dona & ſacrificia pro pecca
tis, qui cõdolere poſſit his qui igno
rant & errant, quoniã & ipſe circũ-
datꝰ eſt infirmitate, & propterea de
bet quemadmodum pro populo ita
etiã pro ſeipſo, offerre pro peccatis
Hic Apoſt. definit præcipuũ officiũ
vnũ põtificũ ſ. offerre pro peccatis.
Et quũ hęretici negant vnum poſſe
offerre pro alio, Paulus docet eum
offerre pro peccatis populi & ſuis.

Ab Apoſtolis frequentatam miſ-
ſam oſtendit, quod Ignatius apoſto
lorum diſcipulus, qui vidit Chriſtũ,
ad Smyrnẽſes inquit, propterea nõ
licet ſine epiſcopo neque ſacrificiũ
immolare, neq; miſſas celebrare. Et
quia nullum eſt ſacrificiũ reale no-
ui teſtamẽti (quia cor contritũ ſem
per eſt ſacrificium) niſi corpus Chri
ſti, & tamen in veteri teſtamẽto plu
ra fuerunt ſacrificia, omnia Chriſtũ
ſacrificium repræſentantia.

Hierenęus Lugdunenſis libro. 4. cap. 32. Eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens. Hoc eſt corpus meũ. Et calicẽ ſimiliter, qui eſt ex ea creatura ſecũdum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamẽti nouam docuit oblationem: quam eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mũdo offert deo, vir ſanctus & temporibus Apoſtolorum vicinus, nõ potuit clarius loqui. Cyprianus martyr Cecilio fratri ſcribit. Admonitos autem nos ſcias, vt in calice offerendo dominica traditio ſeruetur, neq; aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur. Hæc verba repetit beatus Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana. Et ita miſſam dicit ſacrificium Chryſoſtomus ſuper Matthæũ, ſuper epiſtolam. 2. ad Thimotheũ, ſuper epoſtolam ad Hebræos

Auguſt. Chryſo. De fide ad pet. ca. 7.

bræos. Similiter beatus Ambroſius, Auguſtinus ſępiſſime, Gregorius. & alij. Vide libros noſtros de ſacrificio miſſæ.

Ordo miſſæ vel orationem quib. deo oblata ſacrificia conſecrantur, primo à ſancto Petro eſt cõſtitutus, cuius celebrationem vno eodemq; modo vniuerſus peragit orbis. Iſido. lib. 1. de offi. c. 15.

Et ſexta ſynodo ſic habetur. Iacobus frater domini ſecundum carnẽ, cui primũ credita eſt Hieroſolymitana eccleſia, & Baſilius Cæſariẽſis epiſcopus, cuius claritas per totum orbem refulſit in ſcripturis, addiderunt nobis miſſæ celebrationem. De cõſe. diſt. 1. ca.

Sanctus Andreas ad procõſulem dixit, ſe quotidie offerre deo omnipotenti agnum immaculatum. Ita obſeruãt omnes Latini, Gręci, Chaldæi, etiã ſchiſmatici, hæretici, demptis nouis illis dogmatiſtis.

¶Obijciunt hæretici.

1 Vna oblatione conſummauit in Heb. 10

ſempiternum ſanctificatos.

Heb.7 2 Qui non habet neceſſitatẽ quotidie, quemadmodum ſacerdos, primum pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo, hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo.

Heb.9 3 Chriſtus per proprium ſanguinẽ introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Et infra eodem ca. Nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit.

Heb.10 4 In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.

Mat.26 5 Miſſa eſt teſtamentum, non ſacrificium, hic eſt ſanguis noui teſtamẽti, referũt Mattheus, & Marcus: Mat.14 Hic eſt calix nouum teſtamentũ in meo ſanguine. Quomodo ergo poteſt fieri ſacrificium ex teſtamento?

6 Miſſa eſt bene recordatio ſacrificij & oblationis, ideo Chriſtus non dixit offerte, ſed hoc facite in meã

commemorationem.

¶Reſpondent catholici.

Textus apoſtoli expreſſos & manifeſtos torquent hic hæretici contra miſſam. Gemina ſiquidem eſt oblatio Chriſti, & vtraq; quidem realis & vera, quandoquidē in vtraque Chriſtus vere & realiter offertur & ſacrificatur. De primo.

Vna qua ſemel corpus ſuū viuū & ſanguinē deo patri obtulit in ara crucis pro ſalute generis humani, & totius mūdi peccatis. Et de illa ſentit Apoſtolus, oſtendēs excellentiam hui⁹ ſacrificij, vltra legis ſacrificia. De qua & Epheſiis ſcribēs ait, Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam deo in odorem ſuauitatis. 1. Ioan. 2 Heb. 10 Ephe. 5.

Et ob id hanc oblationem repræſentat ſancta mater eccleſia quotannis dūtaxat ſemel in paraſceue, neq; fit eo die euchariſtiæ conſecratio, verum

verum ſumitur cõſecrata prçceden
ti die Euchariſtia, ne ſine dominicæ
paſſionis fructu illo die maneat ec-
cleſia. Altera vero oblatio ſacramẽ
talis eſt, qua quotidie in eccleſia
Chriſtus offertur & ſumitur à ſacer
dotibus in ſacrificio miſſç ſub ſacra
mento, in commemorationem paſ-
Luc. 22 ſionis, mortis, & oblationis prioris
in cruce ſemel peractç. Ita ꝙ ſacer-
dos in perſona eccleſiæ præſentat
deo patri oblationem factam per fi-
lium in ara crucis, & oblatũ ipſum,
& illa eſt oblatio ſecundum ordinẽ
Melchiſedech. Quamobrem & hæc
oblatio recte dicitur recordatiua,
nõ quaſi Chriſtꝰ nõ realiter & vera
citer offeratur (vt volunt hæretici)
ſed quia ſub ſacramento inuiſibili-
ter & recordatiue in memoriã prio-
ris oblatiõis, ſuo iuſſu, ſuaq́ȝ inſtitu
tione offertur. Hæc oblatio ſignifica
tur per iuge ſacrificium quo quoti-
die immolabatur agnus, vnus ma-
ne, &

ne, & alter veſpere, ſecundum illud Numeri. 28.

Illam ſecundam oblationem faciunt ſacerdotes iuſſu Chriſti. Hoc facite in meam commemorationem. Nam hoc facere, nō ſolum refertur ad ſumptionem, ſed etiam oblationem. Alioquin per illa verba nō dediſſet eis poteſtatē cōſecrandi: Chriſtus ſemel oblationem perfecit in ara crucis: & effectus eius quotidie deriuatur ad nos. Hinc fit vt dū prima oblatio meriti fuerit infiniti, ſecunda limitata eſt & finita. Tertia eſt oblatio mere recordatiua, quę fit in die paraſceues.

Luc. 22.

Euſebius Emiſſenus, Quia corp⁹ aſſumptū ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, neceſſe erat, vt die cœnæ ſacramentū nobis corporis & ſanguinis cōſecraret, vt coleretur iugiter per myſteriū, quod ſemel offerebatur in precium &c.

Diſt. 2. c. quia corp⁹.

Liquet iam cōtra hæreticos miſ-

Illatio

ſam

ſam nõ ſolũ repræſentare cœnam dominicam, ſed & paſsionem, mortem & oblationem. Claret quoque cõtra eoſdem Euchariſtiam nõ tantum eſſe ſacramentum (id quod ipſi contendunt) ſed ſimul eſſe & ſacramẽtum & ſacrificiũ, Sacramentum quidem quatenus repręſentat & ſumitur. Sacrificiũ vero quatenus offertur & Sacrificatur deo. Hac quoq; ratione, miſſa in qua hęc peraguntur ſacrificium dicitur & eſt.

De. 2. 3 *Similiter* dicatur ad quatuor ſequentia, loquuntur enim de prima oblatione, liquet ex Chryſoſtomo, dicente de hoſtia Chriſti. Et quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſančta ſãčtorum, hoc autem ſacrificiũ exẽplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper idipſum, proinde vnũ eſt hoc ſacrificium. infra: Sicut enim qui vbique offertur vnum eſt corpus, non multa cor-

ta corpora, ita etiam & vnum ſacrificium, pontifex autē noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit, ipſam offerimus & nūc quæ tūc oblata quidem, conſumi nō poteſt. Hoc autē quod nos facimus, in commemorationem quidē fit eius quod factum eſt. Ecce quomodo quotidie offerimus vnam oblationem, quę ſemel oblata eſt, licet modus offerendi, per recordationē & repræſentationem, lōge differat à prima reali oblatione.

Miſſam eſſe teſtamentum proprie dicere nō poſſumus, quia & corpus Chriſti ibi conſecratur, & tamē nō dicitur nouum teſtamētum. Igitur de ſanguine quod dixit eſſe nouum teſtamentum, intelligatur cōfirmatiue, vt ſicut Moyſes vetus teſtamētum confirmaturus accepit ſanguinem vitulorum & hircorum &c. & aſperſit omnem populum dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit

De quinto.

Heb. 9.

Exo. 24.

dauit ad vos deus ita Chriſtus ſanguine proprio cōfirmauit teſtamentum nouū & introiuit in ſancta ſanctorum. Porro multa ſunt noui, teſtamenti quæ non pertinent ad miſſam, vt baptiſmus, clauis ſacerdotalis. Præterea non ſequitur quia miſſa eſt teſtamentum, ideo non eſt ſacrificiū, vt proſequitur rex Angliæ

Heb. 9. Et teſtamentum ſecundum Apoſtolum, inuoluit mortem teſtatoris, & miſſa eſt teſtamentum, tunc inuoluit mortem teſtatoris & ita oblationem.

De tertio. Miſſa eſt recordatio paſſionis Chriſti, non nude, ſicut aliquis laicus ſimpliciter communicat, ſed eſt huiuſmodi memoria, quod ibi eſt actio repræſentatiua totius paſſionis & hoc dixit Chriſtus facite. Nō ſolū

Luc. 22. dixit Sumite, ſed facite, hoc eſt (conjunctis prioribus & ſequētibus (conſecrate, offerte, ſumite. Ideo ea pars miſſę actio dicitur, Sicut igitur iuge

fuit

fuit ſacrificium in veteri teſtamento, ita ſit iuge ſacrificiū in lege gratiæ Chriſtus Ieſus ſaluator noſter, niſi dū Antichriſtus aduenerit, tunc ceſſabit ad tempus: vide libros noſtros tres de ſacrificio miſſæ ad regem Poloniæ.

## DE VOTIS XVIII.

¶Vota eſſe reddenda ſcriptura docet, natura dictat, & honeſtas imperat.

IAcob vouit Domino in Bethel. Gen. 28
Quum votum voueris domino Deut. 23
deo tuo, non tarderis reddere, quia requiret illud dn̄s deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatū, ſi nolueris polliceri abſq; peccato eris. Quod aūt ſemel egreſſum eſt de labijs tuis obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es.

Animal quod immolari poteſt, ſi Leuit. 27